

05

A

1564





12
CONTEMPLATIONVM PHYSI-
CARVM GENERALIVM
SECVNDATA

De
CONCEPTU
CORPORIS NATVRALIS
& ejusdem
PRINCIPIIS IN GENERE,

Quam

Annuente Altissimo

PRÆSIDE

M. GEORGIO GUTKIO

Coloniensi Marchico, Facult: Philosophicæ
adjuncto

In florentissima Wittebergensi Academia

DEFENDET

BENEDICTVS SAMUEL MACRINVS

Brandeburgensis Marchicus

Ad diem 31. Maj. Anno 1617.

VVITTEBERGÆ,

Apud PAULUM SCHETLERUM.

COPIE WITH PLEASURE
FROM THE
SECOND

COPIE WITH PLEASURE
FROM THE
SECOND

COPIE WITH PLEASURE
FROM THE
SECOND



COPIE WITH PLEASURE
FROM THE
SECOND

05 A 1567

COPIE WITH PLEASURE
FROM THE
SECOND

COPIE WITH PLEASURE
FROM THE
SECOND



CONTEMPLATIONUM PHYSI-
CARVM GENERALIVM
SECUNDA.

PRÆLOQVIVM.



VID in recessu habeat studium Physicum non omnibus unâ eademq; ratione inclarescit. *Utilitatem qui sectantur; illis etiam ut utilis se sistit Physica, & potissimum medicis, in quorum artem medicam ex hac disciplinâ tanquam ex fonte varij utilitatum rivuli fluunt. Elementorum considerationem sibi vendicat Physica; Temperamentorum naturam sub accuratæ disquisitionis incudem revocat eadem, deq; primis qualitatibus differit singulari cum acumine. Et quæ alia hic adferri possent, quorum discussionem tantum abest ut medicus respuat, ut potius exosculetur. Ad hæc præcav omnia qui referunt, illi & hic inveniunt, quo desiderio naturali mentis satisfaciunt. Tota natura ipsaq; compages cœli & terre contemplâda illis obijcitur cuius in erudâ natura, totum vita eruendum licet posuerint; fatebuntur tamen, aliquod adhuc erudentum esse & investigandum. Nos cuilibet, quo fine Physicam excolere velit liberum relinquimus, & ex eius horto flosculos delibare pergimus. Cum enim præcedens disputatio Philosophiæ naturalis præcognita discussisset, nunc ad eam progredien-*

dicendum, quæ ipsam essentiam concernunt. Idq; præstabimus te Auspice, qui mundum hunc ex nihilo formasti nosq; eiusdem speculatores voluisti. Hinc freti tua benedictione & auxilio apponamus

T H E S I S I.



*A*bsolutâ disputatione præcæmiali essentialia Physicæ ut perlustramus, methodi lex exactissima efflagitat. Concessum & probatum est disputatione præcedente Physicam esse scientiam. E. concedendum quoq; erit, quod modum in singulis illius partibus explicandis adhibere teneamur Scientificum. Aristoteles in posterioribus analyticis accurate hæc docet quando I. Post. analyt. cap. 8. docet, quod tria sint, quibus omnis scientia absolvatur, sc. ὑποκειμενον γένος αἰτία, παθήματα. De singulis verò in specie aliquid præcognoscendum esse monet, & quidem de subiecto tenenda est questio ἐῖ ἐστὶ, καὶ τί ἐστὶ, an sit & quid sit. De affectionibus præcognoscendum est, quid nomen significet; De principijs itidem sciendum, an sint, & quid sint.

II.

Habemus hic modum accuratum, quem in tradendis hisce disputationibus observandum esse non præter rem censemus. An sit corpus naturale, uberiore disquisitione non eget, cum nullus reperiat tur hoc qui impugnet. Quod definitionem attinet, eam duplicem damus, unam à priori, alteram à posteriori. Prior sic habet: Corpus naturale est substantia materia & forma constans; posterior ita exprimitur: Corpus est substantia secundum omnes dimensiones divisibilis.

III.

Corporis hujus datur triplex conceptus, sc. Objectivus Formalis & Universalis. Conceptus objectivus corporis est ipsa natura & corporeitas, intellectui representata & est natura corporis, secundum quam quodq; corpus denominatur, hoc est ipsa natura corporis quæ in hoc vel illo corpore, quo ad statum objectivum reperitur. Estq; hic conceptus unus, & quidem univocè, cum in quolibet corpore reperiat ur natura, corporis in communi, ut loquuntur. natura adæquata.

IV. Com

IV.

Conceptus formalis corporis est ipsa forma intellectus, sive est *vōnμa* naturalis corporeitatis representativum, & quidem representat intellectui corpus sub ea natura secundum quam intelligitur, non habito respectu ad hoc vel illud corpus in Individuo: quia corporum in individuo nihil præcisè dicit. Nam quando dico corpus naturale, non statim intelligo Cælum, Lunam, Stellas, sed corpus ab omnibus corporibus abstractum, hoc est naturam illam, quæ fundamentaliter est in omnibus corporum naturalium individuis; formaliter verò in solo intellectu.

V.

Conceptus universalis corporis naturalis, est aptitudo ad prædicandum, & quamdiu illa aptitudo in se spectatur dicitur conceptus universalis; quando vero realis fit attributio tum dicitur contractus. Et quidem contrahitur corpus per sua inferiora tanquam genus univocum per species. Nam nomen ejus & definitio omnibus corporibus ex æquo competit juxta definitionem Univocorum. Quamvis enim Zabarella lib. de Nat: Scient: constituit: c. 10. corpus naturale constituat genus analogum quia cælum materiæ & formæ compositionem non habeat & materia cæli analogicè saltem cum materia inferiorum: tamen nihil efficit quia nititur falso principio, cum eadem specie sit materia cæli & inferiorum, uti suo loco probabitur.

VI.

Et hæc de conceptu corporis naturalis: succedunt principia de quibus quaeritur, an sint & quid sint. De quaestione an sint, nemo dubitat, cum cuius rerum naturalium compositio sit nota. Omnis verò compositio præsupponit principia quibus eadem innitatur. Quaestionem quid sint, sic inquirimus: Constat, quod vox principij i latissime pateat, ita ut significet omne id, ex quo initium rei alicujus sumitur, ut punctum est principium lineæ 2. Unde aliquid cognoscitur, ut sunt axiomata, theses & postulata, quam principij homonymian evolvit Metaphysica & Logica.

VII.

Nos impresentiarum urgemus principia & causas, quibus res naturales constituuntur. Reperiuntur quidem in Physicis tam principia cognoscendi, quam essendi, sed quia posteriorum usus maximus est in demonstrationibus Phyticis, idè eadem hic indagamus. Generaliter definitur principium à Metaphysicis quod sit id primum, à quo res est, aut fit, aut

A. 3

cognosc

cognoscitur quâ descriptione, quia de corporum naturalium principiis internis sermo est, nunc quidem contenti esse nō possumus.

VIII.

Specialior igitur adferenda est, ita ut prius perpendantur principiorum conditiones, quarum tres statuuntur.

1. Principia sint penitus simplicia, nec ex alijs composita. Si enim ex alijs composita essent, tum principiata, non principia essent. Ubi tamen non excludimus compositionem ex genere & differentia, sed volumus ut principia sint libera à compositione ex partibus essentialibus. 2. Principia non componantur ex se invicem. Si enim ex se mutuo fierent, non essent principia, sed principiata, & sic circulus in causis concedendus esset, quod absurdum. 3. Ut ex principiis omnes res naturales fiant, id est essentialiter seu substantialiter constituantur. Ex hisce notis ejusmodi principiorum descriptio extruitur: Principia sunt, quæ non ex sese mutuo, nec ex alijs, sed ex quibus omnia alia fiunt Aristoteles I. Phys: c. 5. Jacob: Martini passim in disputat. Phys: Gilbert: lacch: lib. I. instit. p. 12.

IX.

Liticula hic suboritur de particula Ex in termino ex alio fieri, quæ proprie significat habitudinem partis componentis, quâ ratione dicimus hominem fieri ex anima & corpore. Interdum verò significat quamcumq; habitudinem termini: quomodo dicimus hominem fieri ex non homine, tanquam termino à Quo. Hinc dubitant auctores quomodo illa particula accipiatur in definitione principij. Nonnulli putant, eam semper sumi utroq; modo, ita ut significet ubiq; habitudinem tam principij essentialis, quam termini à Quo, unde sensus definitionis erit iste: principia sunt, quæ nec ex se mutuo fiunt, nec ex alijs sive id intelligas tanquam ex termino à Quo, sive tanquam ex parte essentiali, & omnia fiunt ex illis aut tanquam ex parte essentiali, aut tanquam ex termino à Quo. Alij aliter exponunt, quod sc. tertio loco repetita particula illa denotet habitudinem vel partis essentialis, aut termini à Quo; primo verò & secundo loco posita significet habitudinem partis essentialis. Vid. Ægid: Rom: 1. Phys: t. 3. c. 5.

X.

Numerus principiorum nunc determinandus, de quo diverse apud veteros extiterunt opiniones, quæ tamen eò collimant, ut ponant vel unum principium, vel plura. Vnum qui statuerunt: illud vel mobile & finitum, vel immobile & infinitum posuerunt. Plura qui numerant, illa vel infinita,

nita, vel numeri determinati voluerunt. Ex ijs, qui unum agnovere principium sese offert 1. Melissus, qui unum infinitum & immobile principium urfit hac ratione: Quicquid est factum: illud habet principium. E. quicquid non est factum, non habet principium. Sed totum Universum non est factum, non igitur habet principium & per consequens nec finem habet. Quod verò non habet finem nec principium, est infinitum: E. totum universum est Ens infinitum. E. unum: quia enim infinitum replet omnem locum, nullus locus alteri relinquetur Si universum est unum & infinitum. E. est immobile & p. c. omnia erunt unum Ens immobile.

XI. Hasce Melissi argutias reprehendit Aristoteles in textu & ex eo Egidius Rom. I. Phys: tract. 2. c. 3. Melissus sic infert: Quicquid est factum sc. generatione naturali illud habet principium. sc. magnitudinis. Ergo inquit: quodcumq; non est factum generatione naturali: illud nec habet Principium magnitudinis. Nam absurdum putavit ille, dari alicubi principium magnitudinis, ubi non sit principium generationis. Aristoteles igitur rectè dicit quod committatur in hisce Melissi argutiis fallacia consequentis, cum non sequatur: id quod non est factum generatione naturali non habet magnitudinis principium, cum cœlum non sit à natura procreatum & tamen principium magnitudinis obtineat. Sed non opus est pluribus hasce argutias ut refutemus: solvat Melissus hoc argumentum.

Qui dicit omnia esse unum immobile ille nullum agnoscit principium. Omnia namq; si unum immobile, quomodo quaeso ibi obtinebit ratio principij & principiati.

De Melisso verum prius. E. & posterius.

XII.

2. Parmenides, qui ita argumentatus est: Quicquid est præter Ens, illud est non Ens. Sed Ens est unum. E. omnia sunt unum & p. c. unum idemq; eorundem principium. Sed quæ consequentia. Ens est unum. E. omnia Entia sunt unum. Confunditur varia acceptio Entis, & gradus unitatum. Idem est ac si argumentarer; Rex Persarum est unus. E. omnes Reges sunt unus Rex Persarum. Sic Ens est unum unitate transcendentali. E. omnia quæ sunt unum, sunt unum Ens in individuo. 3. Fuerunt Philosophi, qui materiale omnium rerum principium primum unum aliquod ex elementis constituerunt, ut Thales aquam, Anaximenes aera, Heraclitus Ephesus ignem, Hesiodus terram, quos facile edarguimus: quia tale ponunt principium, quod in principia resolvi potest, unde primum esse nequit.

13. Plu.

XIII.

Plura qui constituerunt principia vel infinita voluerunt, vel numeri determinati. Qui infinita posuerunt, eorum sententia absurda est cum ex infinitis principijs, unum finitum principiatum coalescere non possit. Qui numeri determinati principia posuerunt, sunt 1. Empedocles, qui quatuor elementa pro primis obtrudere conatus est principijs. sed facile refutatut, cum hic nobis sermo sit de primis principijs, elementa verò adhuc in principia resolvi possint.

2. Aristoteles qui in omnibus corporibus naturalibus duo principia constituentia, sc. materiam & formam agnoscit, & unum transmutationis, sc. privationem.

XIV.

Et hæc Aristotelis sententia veritati est consona, quamq; probamus per generalia hæc

AXIOMATA.

Ex nihilo nihil fit naturaliter. Quia in nihilum agere est infinitæ virtutis: natura verò est potentia determinatæ, unde requirit subiectum in quod agat.

II.

Nihil seipsum interimit, suiq; interitus causa est. Nam natura abhorret à destructione sui ipsius.

III.

Opposita & contraria effecta requirunt oppositas & contrarias causas; & vel maximè quando opponuntur privativè.

IV.

In quolibet genere una prima contrarietas, sive oppositio datur.

V.

Omne accidens requirit subiectum cui inhereat: quia eius esse est inesse.

VI.

Generationem & corruptionem dari necesse est.

Et quidem elementorum. Ut in aquæ vehementer calidæ partibus quibusdam tantam mutationem fieri video, ut ab ea separentur, quando sc. aqua resolvitur in vapores, & aërem: in alijs verò tantam mutationem non deprehendo, sed alterationem saltem quoad qualitates intervenientem.

VII. In

VII.

In omni mutatione datur commune subiectum, uti videmus in motu locali, in alteratione, augmentatione & diminutione.

IIX.

Non quodlibet generatur ex quolibet: Non enim ex lapidibus, sed ex semine nascitur homo.

XV.

His ita positis trium principiorum sufficientiam & necessitatem à posteriori hunc in modum demonstro.

Ubi cunq; datur generatio & corruptio; ibi necesse est, dari duo pugnantis, unum quod pellit ut privatio; alterum quod pellitur ut Forma, & tandem quod horum pugnantium sit subiectum. Omne enim accidens & modus Entis finiti requirit subiectum, cui inhereat & in omni mutatione datur commune subiectum, quale est materia prima. Quod duo debeant dari pugnantis ita probo: quia nihil seipsum interimit. Adde quod in quolibet genere sit una prima contrarietas, quæ inter duo tanquam inter terminos versatur, & commune requirit subiectum, quod dicitur materia prima; contraria illa verò vocantur Forma & Privatio.

XVI.

Cæterum de tribus hisce principijs in specie sequens disputatio tractabit: hic notetur distinctio principiorum in constitutiva sive in facto esse, uti loquuntur, id est, quæ rem naturalem intrinsecè componunt, ut anima & corpus hominem, corporeitas & sentiens animal, & in transmutativa, sive in fieri solum, ut Privatio. Vid. Egid. Rom. 1. Phys. c. 9. 2. Francofurd. 1. Phys. qu. 11.

Deinde non negligatur distinctio inter principia interna, quæ sunt Materia & Forma, & externa, sc. efficiens & finis.

QUÆSTIONES.

I.

An de conceptu corporis naturalis legitime à nobis sit disputatum?

Affirmativam defendimus. Conditio immediatè cum subiecto scientifico conjuncta minimè est negligenda.

B

Con-

Conceptus corporis naturalis est ejusmodi cognitio.

Ergo minimè erit negligenda. Major constat: quia objectum distinctè est explicandum, quod fit per conditiones cum subiecto scientifico junctas, quomodo scilicet objectum abstrahatur, quomodo ve contrahatur. Minor probatur: Quando dico, objecti hujus scil. corporis naturalis datur conceptus objectivus, statim infert intellectus: Ergo objectum illud habet in re fundamentum. Quando perspectum habeo, quod objectum hoc gaudeat conceptu formali, statim percipio, illud esse abstractum, & proinde scientiam ingredi posse; quando additur universalis, magis inclarescit, quod scientiæ sit subiectum, cum scientia sit universalium. Et tandem percepta univoca subiecti contractione colligo, adesse objectum pro scientia proprie sic dicta aptum?

II.

An definitio primorum principiorum à nobis rectè sit tradita, & an eadem omnibus corporibus naturalibus, sive eorundem principijs competat?

Primum quæstionis membrum ex terminorum supra data explicatione manifestum est: quia tamen adhuc aliquid contra illud objici potest, illud est examinandum, & sic habet: Definitio que continet ambigua, est vitiosa. De hac nostra verum prius. E. & posterius.

*Major est axioma Logicum: quia quæ in definitione ponuntur; ea debent mihi repræsentare unum conceptum, id quod ambigua non præstant, sed duos aut plures sæpè conceptus producant. Minor probatur; quia particula **Ex** ambigua est. Significat enim vel habitudinem partis componentis, ut in principijs constitutivis, vel habitudinem termini, ut in privatione. Respond.*

- 1. Definitionem datam, non esse accuratam aliquam definitionem, sed descriptionem.*
- 2. Illam particulam minimè ambiguam esse, quia in communi denotat illud, quibus res constituuntur. Quod verò mentio fit istius distinctionis inter habitudinem partis componentis & termini, ibi analogicè contrahitur illius particulæ communis significatio.*

*Circa secundum membrum dubium suboriri posset ob ista verba: ex
qui,*

ex quibus sunt omnia. Nam conceditur cœlum esse corpus naturale, anne propterea dicendum: cœlum factum esse ex hisce principijs? Non certe: quia cœlum est per creationem productum. Sed responsio est facilis adhibita explanatione particule *Ex supra posita, quæ non semper denotat terminum ex Quo, sed etiam cum Quo, ut ita cœlum non dicatur, compositum ex hisce principijs, sed cum iisdem, uti suo loco demonstrabitur, & in speciali principiorum Physicorum doctrina dilucidius tradetur.*

III.

Quibus causis Physicus affectiones suas de sub- jecto suo demonstrat?

De causis etiam in Physicis egit Philosophus, ob quod institutum à multis quidem reprehenditur, sed parum aut vix perpenditur. *Equiores ipsi qui sunt, id commentarij quasi loco fieri arbitrantur, & causas hic tractari ab Aristotele non tanquam in propria sede, sed ex habitu Metaphysico. Verum longè alia videtur mens Aristotelis de causis, quas in Metaphysicis considerat, ut affectionem Entis; hic vero ut corporum naturalium causæ sunt & principia, de iisdem dispicit. Quemadmodum igitur Physicus agit de materia, licet de iisdem etiam tractet prima Philosophia; ita & de omnibus & sic de Efficiente & Fine sermonem spargere potest. Generalia enim generaliter, specialia specialiter sunt tractanda. Ergo etiam speciales modi agendi Physici specialiter erunt enodandi. Præterea hoc adducimus argumentum:*

Ut res se habet in ESSE: ita quoque se habet in cognosci.

Atquæ res naturales ita se habent in ESSE ut indigeant omnibus quatuor causis. Sunt illæ corruptibiles & generabiles, & egent materia tanquam subiecto motus; forma tanquam motus termino; efficiente; quia est principium, unde fluit motus, sine ne, dicantur frustra fieri.

E. etiam cognitio rerum naturalium ita se habebit, ut requirat omnium causarum cognitionem.

Respondemus igitur ad principale membrum questionis, quod omnes causæ in Physicis ingrediantur demonstrationem Physicam, si

Et

ipsam

ipsam verum naturam respexeris; si verò modum causandi spectari, sub
causalitate efficientis & finalis causæ ad demonstrationem ad-
mittuntur, ut per materiam primam demonstratur generatio &
corruptio. Causæ naturam hic si spectes; aliter judicare non pot-
eris, quam locum mediæ termini obtinere materiam in tali de-
monstratione:

Vbicumq; est materia; ibi datur generatio & corruptio.

In rebus naturalibus datur materia

E. In rebus naturalibus datur generatio & corruptio,

Si verò quæras de causalitate materiæ, causandi modum
causæ efficientis eam habere certè dixeris.

IV.

An contra negantem principia Physica sit disputandum?

*Axioma tritum & notum in Philosophia Peripatetica com-
mendatur: Contra negantem principia non est disputandum, quod quid-
dam citra limitationem accipientes, non rectè applicant. Quan-
do namq; cum adversario negante materiam primam congregiuntur, ad
hoc axioma confugiunt: Qui negat materiam, is negat principium Phy-
sicum. Ergo contra negantem materiam primam non est disputan-
dum: quia contra negantem principia non est disputandum.
Verum æquius & accuratè magis agendum est cum adversario. Limitan-
dum est illud Aristotelis hoc modo: Principia sunt duplicia: sc. es-
sendi, quæ rei essentiam ingrediuntur, vel rem efficiunt, & cogno-
scendi qui rerum cognitioni inserviunt. Contra negantem principia essen-
di omnino est disputandum, E. etiam contra illum, qui negat mate-
riam primam. Cognoscendi principia sunt vel prima, sc. axiomata com-
munissima, ut impossibile est idem simul esse & non esse: Totum est ma-
jus sua parte. Hæc principia qui negat, contra illum non est disputandum,
sed potius relinquatur is suis ineptiis. Deinde dantur & cognosce-
di principia certarum disciplinarum propria, ut in Physicis: In omni
mutatione datur aliquid quod pellit & quod pellitur. Ejus-
modi principia qui sese opponit, contra illum itidem est disputandum,
sed non ex illa disciplina, cujus negat principia; verum ex su-
periore, sc. Metaphysica, quæ principia inferiorum scientiarum*
con-

confirmat, & adversarium ad absurdum ducit. Qui igitur negat principia cognoscendi Physica contra illum omnino disputandum est, sed non ex Physicis præceptis sed Metaphysicis.

V.

Estne privatio principium fabulosum?

AntiPeripateticus quidam, ut habeat, quod objiciat Aristoteli, hinc inde quædam corradit & inter alia sic ineptit: Omne principium agit & quod principium non agit: illud est fabulosum principium.

Privatio non agit. E. Privatio non est principium nisi fabulosum.

Verum quis Aristarcho, huic concesserit majorem. Principium latius est quam causa, neq; principium de formali, ut loquuntur, infert ad Agere, sed hoc causæ efficienti tribuitur, Sit itaq; hoc immotum contra Aristarchum argumentum.

Conditio propria speciei non prædicatur universaliter de genere.

Atqui ad Agere est conditio propria speciei sc. causæ efficientis

E. non prædicatur universaliter de genere, nempe principio.

Minor constat. Majorem negare non poteris nisi inferam velis. Omne animal latrat, & sic probabitur etiam hominem latrare, & per consequens esse canem. Sententia Aristotelica igitur de principijs corporum naturalium adhuc stat inconcussa, quam mundi novatores nec percipiunt, nec percipere possunt.

VI.

Dictum & assertum est ab Aristotole, quod omnis scientia absolvatur tribus sc. subjecto adæquato, principijs & affectionibus, rectene & accuratè ita asseritur?

Dubium moveri posset propter species & speciales earundem affectiones, quæ quia in scientijs quoq; pertractantur, tria data scientiarum requirita non sufficere videntur, unde etiam quartum adjiciendam quidam censent, scilicet speciem. Verum hoc dubium facile tollitur, nec non Aristotelis sententia salvatur. Nihil enim unitari scientiæ propter specierum explicationem decedit, quoniam illa in subjectum tan-

quàm partes ejus reducuntur & qui considerat totum, etiam partem
considerare tenetur, nisi confusam & imperfectam velit relin-
quere disciplinam. Deinde subjectum virtualiter in se continet omnes
conclusiones illius habitus cujus est subjectum. Nam objectum conti-
net propositiones immediatas, quæ rursus continent mediatas,
& sic omnes propositiones, in scientijs ad subjectum reducun-
tur: Philippus Faber Favent. in Phys. Scoti th. 5. Scotus 1. sentent. quest.
3. Prologi.



Collationis ergò etiam hæc adjicimus

PROBLEMAT A.

I.

Animal rectenè dividitur in rationale & irrationale?
*Ridiculum fortè cuiquam videatur hoc problema, cum in
omnibus Dialecticorum libris methodicis sit discussum & exem-
pli loco sæpè appositum. Sed placet quibusdam novatoribus nega-
tiva ob hanc rationem:*

Privatio non potest esse forma Entis positivi

Atqui irrationale est privatio

E. non potest esse forma Entis positivi sc. animalis
alicujus, quia differentia divisiva generis est constitutiva spe-
ciei.

Sed respondemus negando minorem. Nam irra-
tionale non est nuda negatio rationalis, sed insuper positiva forma
rationali opposita. Per privationem bruta irrationalia dici ne-
queunt: quia nunquam fuerunt rationalia. Privatio verò præ-
supponit habitum.

II.

Habentne ficta etiam suas causas? *Asserit Tem-
pellus lib. 1. Dialect. c. 3. Explicat Sagitt. cent. 1. axiomat.*

Log.

Log. decuria 6, a. s. habent suas causas, sc. sibi similes & homogenea, h. e. fictas. En subtilitatem?

III.

Genus quidem non dicit totum *ESSE* speciei determinatum, sed confusum & indeterminatum, quod sufficiat ad hoc ut predicetur in *QUID*. Colonenses in Porphy. f. 18.

IV.

Sensibile excellens corrumpit sensum; sc. per accidens, quia corrumpit organum, quod solvit illam mediam proportionem, in qua consistit bona dispositio organi.

Scotus 4. sentent. dist. 43. q. 2.

ad L.

SOLI DEO GLORIA.



In nomine domini Amen.
 Hic incipit liber primus
 de rebus publicis.

De rebus publicis.
 De rebus publicis.
 De rebus publicis.

IV.

De rebus publicis.
 De rebus publicis.
 De rebus publicis.

De rebus publicis.



05 A 1564

ULB Halle
003 779 580


3



V017







12
CONTEMPLATIONVM PHYSI-
CARVM GENERALIVM
SECVNDÆ

De
CONCEPTU
CORPORIS NATVRALIS
& ejusdem
PRINCIPIIS IN GENERE,

Quam

Annente Altissimo

PRÆSIDE

M. GEORGIO GUTKIO

Coloniensi Marchico, Facult: Philosophicæ
adjuncto

In florentissima VVittebergensi Academia

DEFENDET

BENEDICTVS SAMUEL MACRINVS

Brandenburgensis Marchicus

Ad diem 31. Maj. Anno 1617.

VVITTEBERGÆ,

Apud PAULUM SCHETLERVM.